

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptuarium allegoriarum sacrarum praecipua fidei christianae capita illustrantium: indice quadruplici instructum post editiones 5 revisum, iam septimo recusum

Botsack, Johann

Francofurti ad Moenum, 1678

Caput XXV. De vita Aeterna

[urn:nbn:de:bsz:31-142795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142795)

CAPUT XXV.

DE

VITA ÆTERNA.

ARTICULUS I.

DE VITÆ ÆTERNÆ NOMI-
NIBUS VARIIS ET SIMI-
libus.VITA ÆTERNA ET GLORIA ERIT
iteratus Christi accubitus.

1750. *Accumbebat Christus primò cum discipulis, postea pedes lavabat; & post lotionem de dilectione sermonem faciebat, Joh. 13. v. 1. seq. Typus est gratiæ & gloriæ, in vita gratiæ nobiscum discumbit in mensa, Ps. 23. in nuptiis, Matth. 22. vers. 2. sed surgit & pedes lavat, mortuos consecrando, ut ab impuritate & inquinamenti peccati purgemur, mortale induat immortalitatem, 1. Cor. 15. v. 44. Postea discumbet denuò nobiscum, Luc. 22. v. 30. cum per resurrectionem loti fuerimus, & de amore nobiscum sermones jucundissimos instituet, cum videbimus gloriam illam, quam ex mere amore diligentibus eum, præparavit, coram intuebimur, Joh. 17. v. 24.*

VITA ÆTERNA ÆSTAS.

1751. *Esa. 16. v. 9. Clamor super æstivis fructibus corrui.* Pœna hæc est impii Moabi & mundi, qui diè judicii plorabunt, Luc. 6. v. 25. sed piorum erit æstas gaudii, Psal. 126. v. ult. Joh. 16. v. 20. & seq. Esa. 35. 10.

Ecc 3 ÆTER-

ÆTERNA VITA EST INCOR-
rupta corona.

1752. 1. Cor. 9. v. 25. *Cursures coronam immarcescibilem affectant*: At qui in stadio pietatis decurrunt strenuè, his immarcescibilis corona destinatur, corona justitiæ, 2. Tim. 4. v. 8. gloriæ, 1. Petr. 1. v. 4. vitæ, Jac. 1. v. 12. Apoc. 2. v. 10. Ut enim piorum folia non defluunt, Psal. 1. v. 3. sic nec gloriæ corona marcescet in altera vita. Verè enim tunc implebitur promissio planè: *Hostes ejus pudore induam, super ipsum efflorescet corona*, Psal. 132. v. ult. Hostes nostri peccatum, mors sunt, qui pudore suffunduntur, quia abolentur, 1. Cor. 15. v. 26. corona & decor piorum in hac vita hyeme sæpe marcescit; expecta igitur beatam illam vitæ æternæ ætatem, quâ efflorescet corona tua, si modò cum Christo in hac vita gestas spineam coronam; sine hac non hæreditabis illam floridam coronam. Act. 14. v. 21. *Per multas tribulationes!*

COMPENSATIO.

1753. *Salomoni à Davide injunctum fuit, ut filiis Barsillai, ob præstitam beneficentiam, 2. Sam. 19. v. 32. de viælu prospiceret, eosque convictores mensa sua faceret, 1. Reg. 2. v. 7. Ita Deus pater verus David in ultimo die Salomonem Christum, qui est ipsa sapientia, constituet largissimum compensatorem beneficentiæ pauperibus exhibitæ, quando pios in cælo discumbere faciet, Matth. 8. v. 11. Luc. 22. v. 30.*

VITA ÆTERNA EST EPULUM.

1754. Joh. 12. v. 2 *Lazarus cum Christo discumbebat*: Imago est vitæ æternæ, in illa enim cum Christo discumbemus: cum Abrahamo & Isaaco & Jacobo, Matth. 8. v. 11. Videamus ergò, ut in hac vita ad cœnam Christi properemus, quam nobis paravit opi-

opiparam, Luc. 14. Vigilemus, ut cum Christo introeamus ad nuptias Matth. 25. v. 19. aperiamus Domino pulsanti, Apoc. 3. v. 20. Væ autem illis, qui cœnam gratiæ spernunt, nam cœnâ gloriæ privabuntur! Væ iis, qui securitate carnis & mundi effascinati dormiunt!

VITA ÆTERNA EPULUM.

1755. *Fratres Josephi post perpeffas tentationes & angustias, tandem cum fratre se revelante epulantur*, Gen. 43. v. 34. Ita Christi fratres sumus, perpetientes plurimas angustias & calamitates, tandem in altera vita cum eo discumbemus, qui se adedò alienum nobis præbuit in afflictionibus, alienum vultu, verbis, factis, cum tamen misericordiæ affectu nobis proximus fuerit, quem tamen ut nos celaret, vultum suum avertit, ut Joseph, Gen. 42. v. 24.

VITA ÆTERNA EST VERA HIERUSALEM, Apoc. 21. v. 1. seq.

1756. *Hierusalem notat pacis visionem*. Vera pacis visio in cœlo est, ubi demùm veram pacem cum Deo invenimus, quam hîc in fide possidemus, Rom. 5. v. 1. pacem cum angelis, lætitiæ nostræ sociis, pacem cum conscientia plenam, cum gaudium nostrum nemo à nobis tollit, & cujus promissi consummatio ad vitam æternam spectat. Hierusalem David primus acquisivit, 2. Sam. 5. 6. cœlum veram Hierosolymam cœlestis David primus acquisivit. Hierosolymis focum suum habebat Dominus, Esa. 31. v. 9. in altera vita Deus focus erit, totus lucens igne charitatis, cujus scintillas solum in hac vita perferentiscimus.

COELUM EST HORREUM DEI.

1757. *Paterfamilias fruges in horreum suum colligit*.
Ecc 4

git: Frumentum hoc sunt corpora piorum, quæ seminantur in corruptibilitate, 1. Cor. 15. v. 41. colligentur verò, Matth. 13. v. 48. & congregabuntur, Matth. 3. v. 12. & rore Domini irrigabuntur, Esa. 26. v. 19. Plantata prius, Rom. 6. v. 5. & cum Christo mortificata. Joh. 12. v. 24. In horreum autem cæli colligentur, nam nec ventus tentationis pios magis divexabit. Apoc. 7. v. 17.

MESSIS VITÆ ÆTERNÆ
centupla.

1758. Gen. 26. v. 12. *Isaac invenit in anno centuplum.* Messis nostra centupli erit in altera vita. Ibi erimus Isaaci, hoc est ridentes, ob liberationem, Psal. 126. v. 2. ex captivitate peccati & miseræ, Rom. 7. 23. c. 8. v. 21. Annus ibi erit liberationis & plenariæ remissionis. Centuplum metemus, Matth. 19. 29. quotquot fructum centuplum feremus in hac vita, patientiæ, Luc. 8. v. 8.

VITA ÆTERNA EST BRABÉON, 1. Cor. 9. v. 24.

1759. *Agonothetes Christus ipse*, qui brabéum distributurus est. Hoc erit *brabéum* coronæ triplicis, iustitiæ, 2. Tim. 4. v. 8. gloriæ, 1. Petr. 5. v. 4. vitæ, Jac. 1. v. 12. gloriæ, Joh. 17. v. 14. Rom. 8. v. 17. 2. Cor. 4. 17. *vocationis cælica*, Philip. 3. vers. 14. æternarum nuptiarum hoc erit *brabéum*, quò nos Christus excipiet, Apoc. 19. v. 79. *Eleazarus aurea monilia Rebecca dabat.* Gen. 24. v. 53. Christus ipse ejusque Eleazari, angeli, perpetuâ lætitiâ pios beabunt; ille dando, hi cohabitatione jucundissimâ apud eosdem manendo: Notant Lexicographi, vocem *brabéon* etiam *sceptrum regium significare*: Reges quoque erimus in altera vita,

13, Apoc. 1. v. 5. cap. 2. v. 26. Regnabimus cum Christo, Rom. 5. v. 17. Apoc. 5. v. 10. cap. 22 v. 5.

VITA ÆTERNA EST FASCICULUS viventium.

1760. Hâc metaphorâ status vitæ æternæ depingitur, 1. Sam. 25. v. 29.

1. *Ob securitatem.* Frumentum enim in fasciculos colligatum tutum est ab imbribus, turbine, procellis: ita pii in altera vita immunes erunt & tuti à vento tentationis & imbre crucis, Tob. 3. v. 22. Apoc. 21. v. 4.

2. *Ob colligationis finem.* Paleæ quoque in fasciculos colliguntur; sed ad comburendum, Matth. 13. v. 30. Pii verò, ut electum Dei frumentum in horreum vitæ cœlestis colliguntur, Matth. 3. v. 12.

3. *Ob consociationem.* Fasciculus ex multis componitur culmis: in altera vita magna erit piorum societas, multitudo angelorum.

4. *Ob vinculi rationem.* Colligati sunt pii etiam in regno gratiæ mutuâ dilectione, spiritûs unius unione, Ephes. 4. At in altera vita vinculum dilectionis perfectum erit & interreptum, 1. Corinth. 13. v. ult. cum in fasciculum veræ vitæ, Col. 3. v. 2. collecti fuerint.

5. *Ob allegoricam significationem.* Fasciculum argenti fratribus suis reddendum curavit Joseph, Gen. 42. vers. 35. gratis frumentum dedit. Ita in altera vita re ipsa experiemur, omnia nobis gratis exhibita fuisse, absque ullô meritorum nostrorum argento, Esa. 55. v. 2. seq. quod hic credimus, ibi possidebimus.

Job. 14. v. 17. *Peccata nostra in fasciculo colligari à Deo dicuntur:* At in fasciculo viventium colligati pii, nullum habebunt peccatum, 1. Cor. 15. v. 56. 57. obli- gnatò plenè peccatò, Dan. 9. v. 24.

Cant. 1. vers. 13. *Sponsus est instar fasciculi myrrhæ Sponsæ.* Cum ecclesiam, spiritualem sponfam, ad nuptias ducet, Apoc. 19. v. 17. in fasciculo viventium ligabit; verè erit fasciculus myrrhæ incorruptibilitatem (cujus causa myrrha esse perhibetur) donans, 1. Cor. 15. v. 54.

Huic viventium fasciculo innexos sibi Dominus agglutinabit, ut sint ipsi in populum, nomen, gloriam, laudem, Jerem. 13. v. 11.

VITA ÆTERNA VERA MANSIO.

1761. Joh. 14. v. 2. 1. *Ob veram lucem.* Exod. 10. v. 23. in mansionibus Israelitarum lux erat, tenebris Ægyptios præmentibus: ita in vita æterna vera lux ingruet, damnatis in tenebris relictis: hæc erit lux æterni solatii.

2. *Ob typicam significationem.* Gen. 47. v. 11. Joseph fratribus suis patrique mansiones præparavit: ita nobis Christus locum paravit, Joh. 14. v. 2. non varium & mutabilem, sed certum fixumque in cælis, in quibus ipse gloriosè regnat, Psal. 68. v. 7. Mansiones hæc sunt immunes à periculis & securæ, Esa. 32. v. 18. nemo eas vastabit aut diruet: sæpè mansionibus nostris expellimur, exiliò domos mutamus, magnas Diaboli fraudes viresque; extimescimus, Apoc. 12. c. 3. 10. Nullus ibi metus erit, Deo nobis cohabitante, Apoc. 21. v. 3. c. 7. v. 15. Aspiremus ad hanc mansionem, Phil. 3. v. 20. nullam enim in hac vita habemus mansionem, Hebr. 13. v. 14. In altera illa verè habituri sumus. Conf. Psal. 107. v. 5. alleg. ibi enim politevma nostrum, Phil. 3. vers. 19. princeps noster pacis, habitaculum paravit, Esa. 32. v. 18. civitatem suam, Apoc. 21. v. 1. seq.

VERA PATRIA COELUM.

1762. Genes. 31. vers. 3. *Jacob in patriam remigrare jussus*

missus est, servitio exire. Vita hominis nihil nisi servitium est, immundo mundo, ejusque præstitum vanitatibus: Ex hac emigrandum, in patriam veram remeandum, quæ cælum & vita gloriosa: ibi verus pater, Joh. 20. v. 17. vera ecclesia, mater, partim militans, suspiriis & gemitibus, triumphans, ipsâ re jam possidens, quæ credidit, Rom. 8. Ob hanc patriam, mundus patria relinquenda, exemplô Ruth, cap. 2. v. 11. alleg. applicatô. Maximæ calamitatis nota est, patriam revivere non posse, Jer. 22. v. 10. Maximæ ergo felicitatis argumentum, cœlestem patriam adipisci. Confer. Heb. 11. v. 14.

VITA ÆTERNA PARADISUS,
vel hortus Eden.

1763. Luc. 23. v. 42. Apoc. 2. v. 7.

1. *Ob Synonymiam:* Paradisus enim & hortus Eden synonyma sunt quandoque. Certè vita æterna & cælum verus Dei hortus est, plantis illis ornatus confususque, de quibus, Esa. 60. v. 21. Hunc cœli hortum ut Christus restitueret, in horto passus sanguineum sudorem emisit, in horto sepultus, cœli hortum nobis resignavit, Joh. 18. v. 1. cap. 19. v. 41.

2. *Plantationem:* Solus Deus Paradisum plantavit, Gen. 2. v. 8. Solus idem vitæ æternæ autor.

3. *Hominis impositionem.* Gen. 2. v. 8. Ita Deus ad vitam æternam hominem condidit, Sap. 2. v. 23.

4. *Situm:* Ad orientem Deus plantaverat: Christus est verus oriens ex alto, Luc. 1. vers. 78. verus *Zemah*, Zach. 6. v. 12. ad hunc vita æterna, & in hoc, ordinata est; nemo enim venit ad patrem, nisi per Christum, Job. 14. *Ipse vitam dat ovibus*, Johan. 10. Vitæ princeps est, Act. 3. vers. 15. autor vitæ, 2. Timoth. 1. v. 10.

5. Va-

5. *Variarum arborum sationem*, Gen. 2. v. 9. Ita in vita æterna *varia* arbores, magnæ, parvæ, quoad gloriæ gradus varios. In paradiso erant *pulchræ* arbores ad visendum; in altera vita angelos, beatosque omnes lætis oculis contemplabimur; in paradiso *suaves* erant arbores ad vescendum: Cibus in vita æterna erit suavissimus, quem cum Abrahamo & Isaaco capiemus Matth. 8. v. 11.

6. *Ligni vitæ positionem*, Gen. 2. v. 9. Christus verum vitæ lignum vel arbor, ex qua in omnes furculos vitæ fons manavit, Joh. 15. v. 2. Esa. 60. v. 21. in vita æterna erit; cum ipso enim vivemus, Joh. 14. v. 19. vita nostra patefiet, Col. 3. v. 4.

7. *Irrigationem*. Quatuor flumina erant paradisu irrigantia, Genes. 2. v. 10. In altera vita, non quatuor, sed infinita erunt solatii flumina, hoc est, gaudia ineffabilia, gaudiorum torrentes, Plal. 36. v. 9. In his gaudiis & solatii fluminibus aurum invenitur; hoc est, Deus ipse, Job. 22. vers. 24. 25. & gemma vera Christus, suos revisens, mentes eorum gaudio inexplicabili perfundens, Joh. 16. v. 22.

8. *Summam voluptatem & delectationem*, quæ in paradiso fuit. Conf. Ezech. 28. v. 13. Ita in æterna vita summa voluptas erit. Hoc erit sponsæ mysticæ pomarium, Cant. 4. v. 13. in quo fons aquarum viventium, Apoc. 7. v. 17. scaturiet, Cant. 4. v. 15. Quæ hujus vitæ delectationes & viridaria sunt, vanitates sunt. Conf. Eccl. 2. v. 2. & 15.

VITA ÆTERNA VERA requies.

1764. Ruth. 3. v. 1. *Nacmi Ruthæ requiem parare voluit, suadens ambire castum Boozî amorem*: At in vita æterna ecclesia triumphans, cujus typum Ruth gerit, non

non primum ambibit amorem sponsi spiritualis, sed plene eo perfruetur, cum ad nuptias introduceretur, Apoc. 19. v. 7. ut scilicet requie æternâ fruatur, cum sabbathum sanctæ quietis erit, Confer. Exod. 16. v. 23. cap. 55. v. 2. Tunc terram promissam occupabimus, veram quietem habebimus, Deut. 12. vers. 10. allegor. Hostes nostri planè quiescent, non laceissent nos, ut Jos. 12. v. 24. Hanc quietem nobis Dominus jurejurando promisit, Ezech. 18. *Peccator vivat*: præstabit, 1. Cor. 15. v. 26. De hâc quiete, Hebr. 4. v. 1. 3. 9. 11. Apoc. 14. v. 11.

SABBATHUM VERUM.

1765. Esa. 66. v. 23. *Ob requiem*. Sabbatho requiescimus, Exod. 20. v. 8. seq. In altera vita verè quiescimus. Conf. Tit. præc.

2. *Sanctificationem*. Gen. 2. v. 3. Ita in Sabbatho vitæ æternæ planè sanctificabimur, abolitò planè peccati fermentò, 1. Corinth. 15. benedictionem consequemur, quam fide tenuimus. *Venite benedicti patris mei*, Matth. 25.

3. *Sacrificiorum & panum propositionis oblationem*, 2. Chron. 8. v. 13. Lev. 24. v. 8. Ita Sabbatho æternæ vitæ DEO sacrificia laudis offeremus: Panis cœlestis, Christus nobis proponetur manducandus, cum Abrahamo discumbentibus, Luc. 22. v. 30. Servitium nostrum in Sabbatho jure erit interruptum, non vicissitudines experietur, ut Leviticum, 2. Chron. 23. v. 48. Conf. Apoc. 7. v. 16. cap. 4. v. 8. verè in nomine Domini exultabimus singulis diebus, Psal. 89. v. 17.

4. *Vestium novarum sumptionem*: Sabbatho novas vestes induimus, indusium: Idem faciemus in altera vita. Christum in baptismo induimus, sed vestem hanc justitiæ sæpius peccatis conspurcamus. In altera vita

vita planè *munda vestes* manebunt, Apoc. 7. v. 15. *candida erunt*, ut Christi vestis in monte, Matth. 17. Imaginem Adami cœlestis portabimus, 1. Cor. 15. v. 49. vestibus *salutis* induemur, Esa. 61, 10. aureis, Pf. 45, 10.

5. *Piorum congregationem*: Sabbathô ad cultus pietatisque confluunt exercitia: ita in altera vita pii omnes confluunt, liberati ex Babylone mundi convenient, dispersi in exilio mundi filii Dei congregabuntur *ad patrem verum* Matth. 23. v. 9. Eph. 3. v. 15. ad animæ sponsum, ad caput & regem suum, ad aquilam, ad pios angelos.

4. *Virium rejectionem*. Quos enim assiduus vocationis labor toto septimanæ spatiô exercuit, ii vires Sabbathô paululum recolligunt: in altera vita vera erit refectio, imbecillitatis nostræ refocillatio.

ARTICULUS II.

DE VARIIS VITÆ ÆTERNÆ
bonis.

VITA ÆTERNA NULLA HUMANA
industriâ acquiritur.

1766. *In cibo septimi anni non laborabant Israelitæ; sponte enim suâ proveniebat injussus*: ita vita æterna, quæ septimo anno, h. e. sabbathi illius perpetui, Esa. 66. v. 23. datur, nullo labore humano comparatur, Dei donum est, Ephes. 2. v. 8. Rom. 6. v. 23. Benedictionis divinæ fructus est.

IN ÆTERNA VITA DEI COGNITIO
plenior.

1767. *Salomon omnia verba explicuit & anigmata, quæ proposuit regina Sabæ*, 1. Reg. 10. v. 3. Sponsa Christi & regina Ecclesia est, Pfal. 45, 10. ut gloriam ipsius coram videat, Joh. 17. v. 24. tunc demùm perfectam omnium

omnium cognitionem hauriet, ipso Christo, Salomone cœlesti, doctore; videbimus enim eum, sicuti est, Joh. 3. v. 3. non in ænigmate, sed de facie ad faciem, 1. Cor. 13. v. 12.

VITA ÆTERNA CIRCUMFLUIT

copiâ bonorum cœlestium.

1768. *Eximia erat terra benedicta fecunditas eorum omnium abundantia*, unde toties lacte & melle fluere dicitur. At cœlestis Canaan copia major, major pinguedo quàm illius in lacte, in melle.

ÆTERNÆ VITÆ BONA CONSTAN-
tissima & perfectissima.

1769. *Hierusalem cœlestis*, Apoc. 21. 16. *æqualis est dimensionis ex omnibus lateribus*: Forma quadrangularis notat perfectionem bonorum cœlestium immutabilem.

ÆTERNÆ VITÆ NULLUM EST

impurum capax.

1770. *Azymorum solennitate durante, nullus fermentati panis usus erat*, Exod. 12. v. 15. 16. ita in altera vita nullus fermento locus est, sive fidei, sive vitæ: *Nihil coinquatum intrabit in eam.*

IN ALTERA VITA PII DOMINI.

1771. *Jacobus Dominus Esau constitutus fuit*, Genes. 27. v. 29. *cum benedictionem acciperet*: ita pii in altera vita, cum consummative benedicantur, Matth. 25. v. 34. Domini impiorum constituentur in capite suo Christo, cui omnia subjecta erunt, 1. Cor. 15. v. 25. seq. & mundum sunt judicaturi, 1. Cor. 6. v. 1.

IN ALTERA VITA TOTA ERIT

felicitas nostra.

1772. *Dominus est pars nostra*, Num. 18. vers. 20. Psal. 16. v. 6. & c. 73. v. 26. Jer. 10. v. 16. quia felicitas

no-

nostra partialis est, ipse enim duntaxat salvi s. & c. Rom. 8. v. 24. ad plenam liberationem adspiramus ibid. v. 21. In altera autem vita Deus erit omnia in omnibus, non amplius pars hæreditatis, sed ipsa hæreditas.

**ÆTERNÆ VITÆ GAUDIA OB
triumphum de hostibus.**

1773. Exod. 15. v. 1. seq. *Pharaone submerso, ex-
aëloq; transitu maris rubri, hymnum Domini cecine-
runt Israelitæ.* In altera vita pii demum cantabunt Do-
mino, quod infernalis Pharaon, tanquam fessor, Exod.
15. v. 1. cum equo h. e. mundo impio, 2. Tim. 2. v. ult.
in mare inferni projectus sit, Apocal. 20. v. 10. ipsique
liberati in promissam patriam revertantur.

**IN VITA ÆTERNA MERA
gaudia.**

1774. *Nullus malleus in templo Salomonis auditus
fuit, adeo ad amissim omnia perfecta, 1. Reg. 6. vers. 7.*
Nullus fletus aut clamor in altera vita, omnia perfe-
ctione plena: in qua templum gloriæ suæ & majesta-
tis Christus aperiet.

**GAUDIUM VITÆ ÆTERNÆ
insatiabile.**

1775. Cant. 6. v. 4. *Averte oculos tuos à me, quia me
exardescere faciunt.* Hæc est vox sponsæ ad sponsum,
quæ quantò diutius fidei oculis lumen gratiæ intue-
tur, tantò majorem inde haurit dulcedinem. Hæc est
illa dulcedo, Psal. 34. *Gustate & videte, quàm suavis sit
Dominus!* At in regno gloriæ pleno desiderio exar-
descemus ergà sponsum animarum nostrarum Chri-
stum.

GRADUS VITÆ ÆTERNÆ.

1776. *Ut non par fuit ratio benedictionis in filiis Is-
sobi respectu graduum, licet omnes essent benedicti, Ge-
nes.*

nesl. 49. per totum. Ita omnes pii benedicti erunt,
impari tamen benedictionis gradu.

IN VITA ÆTERNA SUMMUM

gaudium.

1777. *Liberatis ab intentata Hamanis tyrannide
Judais, nova lux letitia exorta fuisse dicitur, Esth. 8.
v. 16. At appropinquante die judicii, major erit læ-
titia, majus gaudium, nobis à mundi, carnis, mortis,
Satanæ tyrannide liberatis, & in libertatem filiorum
Dei assertis, Rom. 8. v. 21. Gaudete igitur, attollite ca-
pita vestra, quoniam redemptio vestra appropinquat,
gaudium vestrum appropinquat, gaudium æternum su-
per capita vestra! Esa. 35. v. 10.*

IN ALTERA VITA PLENA ERIT

piorum gloria, honor.

1778. *Ut Ahasverus cum maximè honoratum pu-
tabat, cui regia corona imposita esset, Esth. 2. v. 17. cap. 6.
v. 8. ita maxima erit piorum gloria, cum triplex justis
imponetur corona, justitiæ, vitæ, gloriæ.*

IN ALTERA VITA NULLA

erit mutatio.

1779. *Vermis in Manna non inveniebatur die Sab-
bathi, Exod. 16. vers. 26. Cum Sabbathum illud æter-
num ingruerit, Esa. 66. v. 23. in Manna nostro, hoc est,
cibo spirituali, nullus vermis reperietur. Gaudium
enim illud nemo tollet à nobis, Joh. 16. v. 22. gaudium
erit gloriosum & ineffabile, 1. Petr. 1. v. 8. Et quamvis
hîc sumus vermiculi, Esa. 41. v. 14. Hiob. 25. vers. 6. in
Sabbatho tamen illo erimus incorruptibiles & glo-
riosi, 1. Cor. 15. v. 42.*

MORTALITAS NOSTRA AB

immortalitate absorbetur.

1780. *Ut pellis & stercus vacca rusa igni combure-
bantur*

Fff

bantur

bantur. Num. 19. v. 5. ita mortalitatis nostræ pellis, & fragilitatis stercus per mortis ignem in sepulchro comburendum. *Seminatur in corruptione, resurget in incorruptibilitate*, 1. Cor. 15. v. 42.

VITÆ ÆTERNÆ PRÆMIA.

1781. *Regina Saba Salomon dedit*, 1. Reg. 10. v. 13. *munera regia*: At Ecclesiam, quæ est vera regina, ob maritum & sponsum, 2. Corinth. 11. v. 2. Regem regum, & Dominum dominantium, multò majoribus donis afficiet Salomone major Christus, cum ea demum in altera vita gloriam Salvatoris sui contempletur, Joh. 17. v. 24.

LÆTITIA ÆTERNÆ VITÆ ineffabilis.

1782. Luc. 9. v. 33. *In transfiguratione Christi, nescit Petrus, quid diceret*: adeo verum illud Psalms, Psal. 17. v. 15. ita & nos in altera vita planè obstupescemus ob illius gloriam, nec Dominum quidquam illo die interrogabimus.

ÆTERNÆ VITÆ SECURITAS.

1783. Matth. 25. v. 10. *Clausæ est janua*, & Apoc. 21. vers. 25. *Porta non claudentur*: Et erit vitæ æternæ securitas. Clausa erit janua, ne meror introeat, Esa. 35. v. 10. Apoc. 21. v. 4. c. 7. v. 16. *Portæ non erunt clausæ*, nullum enim timebunt hostem, quippe omnes triumphati, 1. Cor. 15. v. 25. 26. Et *Caro*, quæ infirmitatibus non magis obnoxia erit, 1. Cor. 15. v. 50. Et *Mundus*, qui non scandalizabit amplius, Matth. 13. v. 41. Et *Satanas*, qui in lacum ardentem missus erit, Apoc. 20. vers. 10. Et *Mors*, quæ non dominabitur, 1. Cor. 15. v. 25. Sic nec capiti, Rom. 6. v. 9.

TRIUMPHUS PIORUM IN COELO.

1784. *In manibus suis palmas gestant sancti*, Apoc. 7. v. 9.

7. verl. 9. In signum victoriæ, quod vicerint mundum scandalosum, Joh. 5. v. 4. Satanam insidiosum, Apoc. 12. v. 13. 1. Joh. 2. v. 13. in bono malum, Rom. 12. v. 21. ideoque Manna absconditum accipient, Apoc. 2. v. 17. quo in æternum reficiantur. Manna depluebat cœlitus; vita æterna Dei donum. Manna dulcissimum; vita æterna jucundissima, Psal. 16. v. ult. Colligebat sibi quisque in sextiduo, ut suppeteret in Sabbatho.

VESTES CANDIDÆ PIORUM

in altera vita

1785. *Notant* 1. *Summum splendorem*, nam pii fulgebunt sicut sol.

2. *Innocentiam*, cujus albedo significativa est, Pl. 51. *Lavabis me, & super nivem dealabor.*

3. *Letitiam*. Romani enim in solennioribus conventibus vestibus candidis se induere solebant, Esa. 35. v. 10. *Exultatio erit super capita nostra.*

4. *Pulchritudinem* conspicuam, quâ gaudebunt coram Deo, & electis angelis ejus.

5. *Majestatem & gloriam*. Josephus byssinis, hoc est, candidis vestibus induebatur, Gen. 41. v. 42. Ita omnes pii in altera vita majestate & gloriâ induentur.

SINUS ABRAHAM IN AL-
tera vita.

1786. Luc. 16. Vita æterna sinus Abraham vocatur.

1. *Quia sicut mater* infantem in sinu fovet, 2. Reg. 4. vers. 20. Ita in altera vita fovebimur & consolatione fruemur, Esa. 66. v. 13.

2. *Obarctissimam unionem*: Qui in alterius sinu est, quodammodo unitus videtur cum eo, in cujus sinu est: ita cum Abrahamo & omnibus piis uniemur in altera vita.

Fff 2

3. Ob

3. *Ob filiationem.* Filios enim in sinu patres fovent; Erimus ergò Abrahami filii, conspicui scilicet; in hac vita absconditi, Col. 3. v. 3.

4. *Ob certissimam possessionem.* Quæ enim in sinu habemus, certò possidemus. Certa ergò nobis in sinu Abrahami cœlestis patriæ possessio.

IN VITA ÆTERNA VERA

Jerusalem.

loc. m. p. c.
III. 12. c. 588
243.

1787. 1. *Nomine:* Jerusalem significat pacis visionem; Vera pacis visio in æterna vita erit. Etenim, quamvis & hac in vita pacem cum Deo habeamus, Rom. 5. v. 1. & conscientia, Rom. 14. v. 17. Attamen ista pax sæpè turbatur à corde condemnante nos, 1. Joh. 3. v. 20. & lege iram operante. Hæ turbæ cessabunt in nova Jerusalem, in qua solùm justitia habitabit, 2. Petr. 3. v. 13. nulla ergò accusatio aut condemnatio locum habebit. In hoc mundo nulla pax, habitamus in eo, sicut inter Mefech & Kedar, Psal. 120. v. 5. & v. ult. Vera pax in cœlo parata, Esa. 32. vers. 18. Confer. Mundus est Mefech & Kedar.

2. *Ob Analogicam significationem,* ex Psal. 132. Cœlum enim est illa domus, quam ingressuri sumus latantes, Psal. 42. v. 3. Confer. allegor. Psal. 126. vers. 2. ibi veræ portæ cœlestis Jerusalem, Apoc. 21. 1. in quibus pedes nostri stabunt, non vacillabunt, ex Hebr. 12. v. 12. Hæc est illa Jerusalem à Deo ædificata, 2. Corinth. 5. v. 1. Apoc. 21. v. 1. à Christo præparata, Joh. 14. v. 2. Vera nostra civitas: in hac vita manentem non habemus, Hebr. 13. v. 14. Mich. 2. v. 10. Confer allegor. Psal. 107, 7. Civitas conventriculi. Filii enim Dei dispersi in ea ex toto mundo colligentur, ut ex loliis triticum, Matth. 13. v. 30. In hanc civitatem veræ tribus Israel ascendent, 1. Petr. 2. v. 9. Apoc. 7. v. 5. seq.

seq. ut opera Domini in æternum annuncient, & Deo gratias agant, Apoc. 5. v. 9. 10. nomini ejus salvifico, Act. 4. v. 12. In hac civitate sedent solia nostra; reges enim ibi erimus, Apoc. 1. v. 5. c. 5. v. 10. cum Christo regnabimus, 2. Tim. 2. v. 12. Conf. Rom. 6. v. 21. mundum, Satanam principem ejus judicaturi sumus, 1. Corinth. 6. vers. 1. seq. colla eorum pedibus prostraturi. Conf. alleg. Jos. 10. v. 24. Christo, Josua nostro vero, nos locante in foliis illis, de quibus, Apoc. 3. vers. 21. Matth. 19. v. 28. Luc. 22. vers. 30. Hæ sunt solia Davidis, Christi scilicet, qui alias David dicitur, Ezech. 34. v. 23. cap. 37. v. 24. Amos. 9. v. 11.

VITÆ ÆTERNÆ TYPUS IN
manifestatione Christi ad mare
Tyberiadæ.

1788. Joh. 21. v. 1. seq. 1. *Respectu improvisæ apparitionis*: ita in judicio extremo ex improviseo Christus aderit: Illius enim adventus dies incognita est: ideoq; singulis expectanda horis, Matth. 24. v. 42. *Vigilate, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit.*

2. *Retium ad dextram jactationis, conclusionisque piscium*, & qualitate bonorum, & quantitate vel numero certorum. Ita in vitam æternam colligentur boni pisces electi, Matth. 13. v. 48. qui Deo sunt numero certi; novit enim Dominus, qui sint sui, 2. Timoth. 2. v. 19.

3. *Respectu prandii*: Pransus enim cum discipulis Dominus d. l. Johan. v. 13. Ita in vita æterna nos cum Christo prandebimus, Luc. 22. vers. 30. dabit nobis comedere manna absconditum, comedemus de eo, tanquam fructifero vitæ ligno, Apoc. 2. v. 7. cap. 22. v. 14. 22.

IN ALTERA VITA OMNIA

aperta.

1789. Apoc. 21. *In cœlesti Jerusalem non erat lux, quia Deus ipse & agnus templum erat, v. 22.* Quo significata fuit clara revelatio Dei de facie ad faciem, quæ æternæ vitæ reservatur; in hac quidem vita revelat se in templo ecclesiæ suæ Deus; verùm idem ecclesiæ suæ templum fumô implet, cum plenis cognitionis perfectæ radiis non illuminat: ut typicè monstratum, Esa. 6. v. 4. 1. Cor. 13. v. 12.

INCORRUPTIBILITAS.

1790. Deut. 29. v. 5. *Israelita ducti à Mose in deserto non habuerunt calceamenta vetustate detrita: in æterna vita non erimus in deserto, sed patria, non à Mose ducti, sed à Christo, agno in medio throni, hoc est, consummativè gubernante, Apoc. 7. v. 17. non indigebimus calceis, quia leones prostrati erunt, omnes hostes subjecti, quia via nulla erit: Ivisimus enim in viam, Christum, in patriam terram venimus. Calceamenta non erunt detrita, quiescemus enim à laboribus, Apoc. 14. vers. 13. nec pugnabimus contra hostes, contra quos ocreis opus esset, Eph. 6. v. 15. Illa enim lucta cessabit, nec insequetur nos Pharaò in deserto. Pharaò submersus in barathro, Apoc. 20. v. 14. Calceamenta non erunt detrita; nullus enim tempori relictus erit locus; mille anni sicut unus dies erunt, 2. Pet. 3. v. 8.*

QUIES ALTERIUS VITÆ.

1791. Gen. 8. v. 4. *Arca Noachi fluctibus aquarum jactata, tandem in monte Ararat quevit: Ecclesiæ typus arca illa, quæ in hoc mundo, tanquam vasto mari fluctibus calamitatum agitur, Esa. 54. v. 11. sed tandem in monte cœli requiescet.*

TY-

TYPUS VITÆ ÆTERNÆ IN

templo Salomonis.

1792. *Tabernaculum & templum Mosaicum portabile erat, nulliq; affixum loco.* Salomonis verò templum Hierosolymis locum habebat. Tabernaculum Moſis imaginem gerit eccleſiæ triumphantis, cui certus locus in cœlo à Chriſto paratus eſt, Joh. 14. v. 2. Conf. ſupr. alleg. 22. Vita æterna Jeruſalem.

VITA ÆTERNA MANNA

abſconditum.

1793. Apoc. 2. v. 17. *Vincenti dabo Manna abſconditum*: Hoc vitam æternam ſignificat, verè abſconditam: *Oculus enim non vidit, nec auris audivit.*

1. Cor. 2. v. 9. Hoc vitæ æternæ manna in cœlo nobis aſſervatur: ſicut olim Gomor ex manna in tabernaculo: Vincentibus autem datur, fide autem vincimus, 1. Joh. 5. v. 4. per hanc victoria nobis datur, 1. Cor. 15. v. 57. patientiâ vincunt pii, ideò palmas geſtant, ſupra alleg. 19.

FAMILIARIS CONVERSATIO

cum Deo.

1794. *Dominus cum Moſe de facie ad faciem locutus eſt, ſicut homo ſolet loqui ad amicum ſuum*: ore ad os locutus eſt ei: *Non per anigmata & figuras*, Num. 12. v. 8. In altera vita talis noſtra erit cum Domino converſatio: de facie ad faciem videbimus, 1. Cor. 13. v. 12. noſtra facies ſplendet, ut Moſis, Exod. 34. v. 29. ut ſol, Matth. 13. v. 43. Sap. 3. v. ult. firmamentum, Dan. 12. v. 3. Loquetur ad nos, ut amicos ſuos, erimus enim in ſinu Abraham; amici ipſius, 2. Chron. 20. v. 7. invitati ad cœleſte epulum amici, Cant. 5. v. 1. ſemen benedictum amici, Abraham, Eſa. 41. v. 8. Jacob. 2. v. 23. propter ſemen Chriſtum, qui nos amicos ſibi fecit,


Fff 4

Joh.

Joh. 15. v. 14. 15. Erimus relicitati amici, Joh. 11. v. 11. Confer. Luc. 12. v. 4. Imò fratres fecit: Ascendit enim ad patrem suum & patrem nostrum, Joh. 20. vers. 19. Communis paternitas, communis fraternitas. Non loquetur per ænigmata & figuras: Ipse enim Deus lux erit omnia illuminans, cum erit in omnibus omnia, Apoc. 21. v. 23. Esa. 60. v. 19.

DEI REVELATIO.

1795. *Jacobus in Mesopotamiam ad Labanum itineris servitium, in visione Deum videbat, ad cacumen scalæ stantem, Gen. 28. 13. Reversus in patriam Deum de facie ad faciem vidit, Gen. 32. v. 30. quapropter in hæc verba prorupit: VIDI DEUM DE FACIE, ET SALVA FACTA EST ANIMA MEA. In hac mundi Mesopotamia, SANCTISSIME JESU, servire cogimur mundi vanitatibus & carnis illecebris, præter nutum nostrum, Rom. 7. v. ult. Te videmus in visione scalæ ministerii & sacramentorum: Fac ut in spirituali nostra Ecclesiæ Bethel te puro corde semper invocemus, ut in cœlestem patriam reversi, salvificam faciem tuam intueamur, ingememusque: VIDEMUS DOMINUM, anima nostra salva facta est! AMEN ita fiat, O JESU, AMEN!*



CAPUT XXVI.

DE INFERNO.

INFERNUS EST MARE SALSUM
& mortuum.

1796. Infernus est mare salsum & mortuum:

1. *Mutatione:* Ut enim mare salsum factum est
ex